

eminentiae etiam Ecclesiasticae, etiam individua et speciali expressione dignae existat, Imagines D. N. J. C. et Deiparae Virginis Mariae ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum aliorumque Sanctorum et Sanctarum quorumcumque sculperere aut pingere vel sculpi aut pingi facere, aut antehac sculptas, pictas et alias quomodolibet effictas tenere seu publico aspectui exponere aut vestire cum alio habitu et forma, quam in Catholica et Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, tenere praesentium prohibemus ac, ut Imagines aliter pictae vel sculptae ab Ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur et deleantur, vel reducantur et reformentur ad habitum et formam in Ecclesia Catholica et Apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio et cultus sic dictis Imaginibus augeatur et quae oculis Fidelium subjiciuntur, non inordinata nec insolita appareant, sed devotionem pariant et pietatem; et ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet et quomodolibet qualificatis, ac earum frontispiciis et atriiis imagines profanae vel alias indecentiam et inhonestatem praeseferentes, cum Domum Dei deceat sanctitudo, praecipimus.

Quocirca quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis ac Nostris et Apostolicae Sedis Nunciis, Legatis, etiam de latere, sub obstestatione divini iudicii mandamus, ut praedicta inviolabiliter et exacte observent.

Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium et majorum, Universitatibus etiam studiorum, Monasteriis ac Collegiis et personis quibuscumque etiam Ecclesiasticis Saecularibus et Regularibus cujuscumque Ordinis etiam Cisterciensis.

Instituti, Congregationis et Societatis etiam Jesu, etiam Militaribus, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani aliorumque Militarum, caeterisque quibuscumque, quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione et speciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularibus gubernio subjectis, ac etiam Sedi Apostolicae immediate suppositis, ut in eorum Ecclesiis et locis omnia et singula praemissa observent et observari faciant.

§. 2. Quatenus vero ipsi, praesertim Regulares ac Moniales praesentibus literis ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint et debent Episcopi et locorum Ordinarii et Metropolitanus, Primates et Patriarchae, Nuncii et Legati Apostolici de Latere missi, tanquam in hoc a Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes et singulos praedictos et quoscumque alios quomodolibet inobedientes et transgressores procedere, et quacumque appellatione, recursu, reclamatione aliisque juris et facti remediis ordinariis et extra ordinariis penitus, et omnino remotis, ad omnimodam observantiam illos, praevia unica monitione, censuris Ecclesiasticis et aliis eorum arbitrio, et praesertim quoad loci Superiores, etiam privationis officii et vocis activae et passivae poenis compellere.

§. 3. Praesentes quoque literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, vel quocumque alio, etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari vel redargui posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios effectus sortiri et obtinere et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§. 4. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices, Ordina-

rios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos nunc et pro tempore existentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi seu interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri et interpretari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus dictis aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis in favorem etiam personarum atque Ordinum quorumcumque etiam Cisterciensis, ac tam Mendicantium quam non mendicantium Militarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum Societatum etiam Jesu, ac cujusvis alterius Instituti, etiam necessario et individue exprimen. Monasteriorum, Conventuum, Capitulum, Ecclesiarum et aliorum quorumcumque tam Saecularium quam Regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica et alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa et titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis etiam, Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi et alii Ordinarii et Superiores praedicti deferre minime teneantur et quibusvis aliis, sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolica po-

testatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo praetendi, volumus et Apostolica auctoritate decernimus, ut praesentes Literae seu illarum exemplum ad valvas Basilicae Principis Apostolorum Urbis ac in acie Campi Florae affixae, omnes perinde arctent atque afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

§. 7. Quodque praesentium transcriptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis ac sigillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 15. Martii 1642. Pontificatus nostri XIX.; n. 1433 die 21. Febr. 1643.

(Bull. mag. tom. IV. part. 3. pag. 311. §. 15.)

Urbanus PP. Octavas.

Referente Emo. et Rmo. D. Card. Verospio petitionem Procuratoris gen. PP. Eremit. Ord. s. Augustini S. R. C. censuit, imagines S. Augustini, s.

Nicolae de Tolentino et aliorum SSrum. ejusd. Ord. s. Augustini impressas aut depictas a FFr. discalceatis ejusdem Ord. cum habitu, quo ipsi Discalceati utuntur, suspendas et abolendas esse injungendumque dictis FFr. discalceatis, ne sub poenis arbitrio hujus S. R. C. infligendis talia amplius audeant peragere. Et ita omnino servari mandavit.

(S. R. C. die 19. Decb. 1637.)

Dat. Romae ap. s. Petrum sub annulo Pisc. die 23. Jan. 1638 Pontif. Nostri anno XV.

9) Processio.

Cf.: *Processio Corp. Chr.* (quae res circumferri etc.); *Reliquiae*; *Baldachinum Imaginis*; *Imago* (Deferentes).

Ad dubium: An et quomodo in processionibus B. M. V., quae fiunt interveniente capitulo Ecclesiae matricis Balneacaboli Laici tertii Ordinis s. Francisci et confratres s. Annae teneantur incedere? S. C. resp.: Licere confratribus s. Annae gestare s. imaginem alternatim cum aliis quatuor ad eorum latera adstantibus absque cereis; licere vero tam confratribus quam tertiariis cum cereis accensis adesse juxta solitum in Ecclesia PP. Convent. tantum, post reditum processionis ad eandem ecclesiam. n. 4461 die 23. Aug. 1794.

10) Remotio.

Sine speciali Indulto nequit removeri Imago illius Sancti ab altari, cujus Nomini dedicatum fuit. S. R. C. 27. Aug. 1836; 11. Martii 1837.

11) Sancti.

a) Ponenda, in cujus honorem altare est consecratum.

Vd.: *Imago non Titularis* (decr. n. 4793).

b) Cum reliquiis impositis.

Non esse de necessitate in sculptis SSrum. imaginibus in altare dispositis s. includere reliquias ad hoc, ut incensata cruce, valeant illae a Celebrante thurificari. n. 4153 ad 4 die 21. Mart. 1744.

12) Spiritus S.

Imagines Spir. s. sub humana specie e. g. speciosi juvenis prohibentur, sed licite pinguntur sub specie columbae et in figura linguarum ignis super apostolos descendantium. *Constitut. Bened. XIV.* die 1. Oct. 1743.

(Bull. r. t. XVI. p. 319 etc.)

Vd.: *Imago SS. Trinit.*

13) Super Tabernaculum ponenda.

Vd.: *Reliquiae* (superimp. tabern.)

14) Thurificatio.

Exposito SSmo. non licet post thurificatum ad Magnificat altare, thurificare etiam altare s. Francisci ac ipsius statuam ab altari disjunctam in civitate Parmen. n. 3790 ad 2 die 4. Aug. 1708.

Vd.: *Altare* (incensatio); *Imago Sancti* (cum Reliquiis etc.) *Imago B. V. M.*

15) Titularis Ecclesiae.

(*Ponenda in altari maj.*)

Vd.: *Reliquiae* (superimponendae etc. decr. n. 4578 nota) *Imago* (expositio).

Presbyteri Congregationis Missionis Provinciae Neapolitanae petierunt: Ut, quoniam in Ecclesiae Ara principe nulla extat Icon, collocari ibidem valeat illa B. M. V. Conceptionis titulo, sed illa forma effigiata, quam refert numisma Parisiis Anno 1830 cusum.

Et S. eadem C. respondendum censuit:

„Negative et apponatur Imago S. Nicolai Titularis“.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 27. Aug. 1836. n. 4793 ad 3.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Sacrosancta Trid. Syn. ad varios tollendos abusos, qui circa Sanctorum Imagines irrepserant sive quoad habitum sive quoad formam, quae pictae aut sculptae in Ecclesiis aliisque locis ponebantur multa censuit decernere. Inter haec non modo sunt, quae prohibent imagines aliquid profani eoque magis inhonesti oculis Fidelium exhibentes, sed eas quoque, quae novitatem redolent et quae diverso modo pictae videntur ab eo, quae antiquo tempore, pingi aut sculpi et sic exponi in Ecclesia consueverant: „Postremo (verba sunt Sacrosanctae Trid. Syn. de SS. Imaginibus) tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat Sanctitudo. Haec ut fidelius observentur, statuit S. Synodus nemini licere ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodo libet *exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.* Sanctorum quidem imagines juxta S. Synodum *oculis Fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vilam moresque suos componant excitenturque ad adorandum et diligendum Deum, et ad pietatem colendam*“.

Item Summus Pontifex Urbanus VIII. peculiari edito Decreto ad eosdem abusos eliminandos, qui, ut Ipse ait, ex Decreti ejusdem S. Synodi inobedientia pariter irrepserant, eadem quasi verba referendo eadem renovat et pariter iterum praecipit ut Imagines aliter

pictae vel sculptae ab Ecclesiis aliisque locis quibuslibet amoveantur et deleantur vel reducantur et reformentur quoad habitum et formam *in Catholica Ecclesia et Apostolica ab antiquo tempore consuetam et quae oculis Fidelium subjiciuntur, non inordinata et insolita appareant.* Jam Imago Bmae. V. M. sub titulo Conceptionis, quam Ora'or postulat collocari in Ara principe Ecclesiae, non ea sane est, quae inter eas possit adnumerari, quae aliquid profani aut aliud hujusmodi Fidelibus repraesentet, quin immo habet quid quod eos revocet ad quamdam visionem licet non satis probatam, adeoque per hoc S. R. C. respondit *non expedire*, sed quia imago haec eo, quo picta est modo, et eo, quo repraesentatur in numismate Parisiis cuso, differt quamplurimum ab ea Imagine, quae a vetustissimis temporibus Bmae. V. Conceptio pingui consuevit, atque hinc cum hujusmodi Imago nova et insolita sit in Ecclesia, ut talis adnumerari inter eas debet, de quibus et S. Trid. Syn. Patres et Urbanus VIII. decreverunt, non licere ullo in loco vel in Ecclesia ponere, nisi putandum sit per ea verba *nova et insolita* voluisse praecaveri, ne pictores destrena quadam libertate in pinguendis imaginibus uterentur contra usitatum Ecclesiae morem. At S. C. omnimodam varietatem hoc Decreto rejicit.

Dicit fortasse aliquis Romae Imaginem hanc et modo supradicto repraesentatam alicubi positam esse in Altari, e. g. in Ecclesia S. Andreae de Fractis et alibi. Nemo certo hoc inficiabitur, sed nihil ab hoc desumi poterit pro licitudine.

Nova enim et insolita semper erit habenda. Insuper de hac Imagine dici potest eam ibi positam fuisse ad memoriam quamdam servandam assertae apparitionis in hac Ecclesia sub tali

repraesentatione non multis abhinc annis habitae ab Israelita Ratisbon, ex qua factum est ut eo ipso momento ex acerimo Christianae Religionis hoste huic ipsi nomen dederit: potest etiam dari ut haec imago tali modo picta in alia aliqua Ecclesia sit collocata de Ordinarii licentia per ea verba quae in Trid. Conc. et Urbani VIII. Decretis leguntur *nisi ab Episcopo approbata fuerit*, quae similibus in casibus Ordinariorum consensum et approbationem exposcunt: at nihilominus Imago, de qua hic est sermo, nova semper est et insolita; et diverso modo repraesentata ab eo, quo Imago Conceptionis Bmae. V. M. *ab antiquo tempore repraesentari consueverat*, sed quae a S. R. C. numquam approbata fuit et numquam facultas data est illam exponendi: hinc ne haec S. C. secum ipsa pugnet, nulla interveniente ratione pro facultate hac in re concedenda, *non expedire merito respondere censuit*.

Quid vero de huiusmodi Imaginis appositione in Ara Maxima Ecclesiae dicendum? Ex dictis sponte descendit negativa responsio, quae enim Imago non approbatur, ea nec exponi potest. Sed alia etiam ratio est eaque magni momenti. Sane S. Nicolaus Tolentinas erat Ecclesiae Titularis. Jam semel ac Ecclesia Deo in honorem Sancti alicujus in Consecratione dicata est, Sanctus hic est Ecclesiae Titularis. Hic autem, ut observat Guietus, est relate ad Ecclesiam, quod est in homine baptizato nomen quod imponitur, ita ut a Sancti titulo, quo nuncupatur, Ecclesia illa ab aliis Ecclesiis veluti proprio nomine dignoscatur. Juxta eundem Guietum si Ecclesia Deo in alicujus Sancti honorem dicata est, mutari nequit Ecclesiae titulus, nisi accedente nova Ecclesiae dedicatione et hoc in casu aequum est ut non alio sub titulo ea

dedicetur nisi eo quo prius erat dicata, et ab eodem nomine nuncupetur. Jam juxta hoc principium cum, ut exponitur, nulla extet Imago in Ara principe, Ecclesia autem in ipsa consecratione fuerit Deo in honorem S. Nicolai Tolentinatis dicata, et hic proinde sit antiquus Ecclesiae ejusdem Titularis, ratio postulat, ut non alia Imago in Ara praedicta, quam S. Nicolae apponatur, quemadmodum S. R. C. apponi jussit.

Congregationis Missionis.

VI. Kal. Sept. superioris Anni 1836 S. R. C. Decreto injunctum fuit Alumnis Cong. Missionis Civitatis Neapolitanae in Ara majori Ecclesiae adnexae Domus Novitiatus ipsius Cong. apponere Imaginem S. Nicolai Tolentinatis Titularis, quod difficile factu iteratis precibus hodiernus Visitator exposuit, siquidem S. idem Nicolaus veneratur et colitur in apposita Aedicula, ac propterea supplicavit enixe, ut in ipso majori Altari apponi possit Imago Conceptionis Deiparae. Emi itaque ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum sub signata die coadunati, audita Secretarii relatione, rescripserunt: Relinquatur Imago S. Nicolai propria in Aedicula, sed in Ara majori ponatur Icon illius Sancti, in cujus honorem est consecrata.

In reliquis servetur Decretum die 27. Aug. 1836. n. 4804 die 11. Mart. 1837.

16) Non Titularis.

(Ponenda in altari collater.)

Praeter Aram maximam Ecclesiae Congreg. Missionis Neapol. aliud Altare Icone destituitur, petitur, ut hoc in Altari collocari valeat Icon S. Vincentii a Paulo Fundatoris.

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative juxta modum; nimirum, ut quoniam in collocatione Iconis S. Nicolai in Ara principe duo remanent Altaria collateralia vacua, in his poni valeat Imago S. Vincentii ex una et Conceptionis B. M. V. ex altera parte, sed juxta veterem morem expressa, nusquam vero ad instar supradicti Numismatis; dummodo tamen iisdem in Altaribus collocetur in ovali figura super gradus Candelaborum etiam Imago illius Sancti, sub cujus titulo constat Altare fuisse consecratum juxta Decretum s. m. Alexandri Papae VII.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 27. Aug. 1836. n. 4793 ad 6.

Cf.: *Imago Titularis.*

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Aequum est ut Religiosa Familia, quaecumque ea sit, cui Ecclesia aliqua uti propria concessa est et cujus curae est concredita, Imagines illius Sancti in Altari apponat, qui Religiosam familiam instituit: hinc est quod S. R. C. Oratoris precibus annuit per affirmativam responsionem. In hac tamen responsione aliquid eodem tempore addidit, per quod Oratori non reliquit libertatem apponendi quamcumque Imaginem, coarctavit enim illius voluntatem per ea verba: *juxta modum*. Quis autem esse deberet modus, postea praescripsit. Permittit quidem S. C., ut tam Imago Conceptionis B. M. V. apponatur tam Imago S. Vincentii a Paulo in Altaribus lateralibus, (nec enim censuit S. C. precibus abnuere cum agatur de Beatissima Virgine et de Fundatore) hac tamen lege ut Imago Beatissimae Virginis Conceptionis eo repraesentetur modo, quo juxta vetustissimum morem solet repraesentari. Conditio haec ne-

cessario erat ponenda, semel ac in responsione eam Imaginem rationibus super adductis excluserat, ea forma repraesentatam, quam refert numisma Parisiis cusum.

Concessit quoque S. C., ut aequam appositionem in Altari altero laterali Imaginis S. Vincentii a Paulo uti Fundatoris Congregationis Missionis cum praecepto tamen ponendi etiam Imaginem Sancti, cui Altare dicatum est et optime quidem et apposite; cum enim Altare hoc alteri Sancto fuerit jam dicatum, ratio postulat, ut et hujus Imago ponatur, ne illius memoria penitus depereat, a quo tamquam peculiari titulo nuncupabatur. Jam sublata picta tabula, in qua ipse repraesentabatur, non eidem pariter sublatum fuit jus, quod in Altaris consecratione super eo accepit, quo non amisso debet et illius Imago iterum in Altari apponi; dici et hic potest, quod de Ecclesiarum nova consecratione dictum est et cum aequum sit, ut in nova Ecclesiae consecratione non sub alio titulo ea consecretur et non ab alio nomen accipiat, nisi a veteri, a quo appellabatur, ita et Altare a Sancto nuncupetur, cui olim fuit dicatum. Hoc sane in responsione non praecepit S. R. C. eo stricto modo, ut major picta tabula, quae muro adhaeret, Imaginem exhibeat Sancti illius, cui olim Altare dicatum erat; liquet id ex ipsa expressione, quam addidit: *juxta modum* et hujus enunciationis explicatione: concessit enim S. C., ut in uno ex Altaribus majori collateralibus poneretur Imago Conceptionis B. M. V., veteri modo repraesentatae, in altero S. Vincentii a Paulo; at optime noscens S. C. Sanctum illum, cui olim Altare dicatum erat, jus adhuc habere, ut aliqua de eo memoria in eo extet, ad sartum tectumque illius jus servandum imaginem illius in picta tabula ovalis figurae super gradus candelab-